

Q. 330. 17.

Za
664



Epithalamium

IN N V P T I I S
HONESTI ET ORNATISS. VIRI
IACOBI APELII, CIVIS ET BIBLIOPOLAE
Lipsensis, SPONSI, & pudiciss. Virgini
CLARÆ, SPONSÆ, Honesti &
optimi viri SEBASTIANI GRVN-
VVALDI, Ciuis Lipsensis,
relictæ Filiaë.

SCRIPTVM

à

Christophoro Cæsare
Ilauisiensi.

L I P S I Æ

Iohannes Rhamba excudebat

Anno

M. D. LXVIII.



cat. V, 689.





EPIGRAMMA M. IOA^Æ
CHIMI PHRISII, AD D.
Iacobum Apelum sponsum.

EX quo stelliferum Dominus formavit Olympum,
Et quicquid vasti circulus orbis habet.
Instituit thalami socialia fœdera sancti,
Casta sit ut casto fœmina iuncta viro.
Hoc, Elementa suos semper retinentia nexus,
Cunctarum rerum semina prima, docent.
Alituum genus omne, leues quod diuidit auras
Aërys pennis, innuit idq̄, tibi.
Sic Phœbus patrium ius officiumq̄, paternum
Exercet, matris Cynthia Luna vicem.
Fungit amor virides cognati seminis herbas,
In medio pisces æquore iungit amor.
Omnia coniugij referunt simulachra verendi,
Seu terram aspicias, celsa vel astra poli.
Ergò mihi multum felix IACOBE videris,
Quod socia est thalami CLARA reperta tui.
Hæc, precor, ut fœcunda tibi velut arbor oliua
Coniugij dulcis pignora cara ferat.

Epithalamium.

CLARA dies totum radijs feriebat Olympum,
Vernantemq; nouo lumine tinxit humum,
Squamigeros fugiens, vectorem præpete, Phæbus,
Dum Phryxi atq; Helles, gaudet adire gradu.
Dumq; tepet Zephyris liquidus spirantibus aër,
Et niue brumali sparsa recedit hyems.
Scilicet hoc tempus, quo frigore mortua sæuo
Seminibus cunctis, vis rediuiua, uiget.
Et quo florifero decoratur gramine tellus,
Arbore frondentes accipiente comas.
Tunc etiam, fertis Hymenæus vinctus odoris,
Grata solet thalamis gaudia ferre nouis.
In **VIRIDIS NE** Moris solus secessibus erro,
Quâ rapidas voluit flauus Elister aquas.
Hic ego dum memori, quorum mihi iuncta voluntas,
Et rata sunt fidei fœdera, mente colo,
Immitis Parcæ, cunctis dominantis, **APELI**,
Inuida sollicito pectore fata queror,
Quòd, socia vitæ tibi parte iugalis adempta,
In viduo ponas membra leuanda toro.
Hic Dryadesq; & Hamadryades dum cerno mouere
Ad numeros celeres, Pane canente, pedes,
Aspiciens rutuli radiantia sidera cæli,
Per vacuum tales aëra iactò sonos:

*Alma Venus, summiq; Iouis, Venus, inclyta proles,
Qua iuuenum tutus praeside gaudet amor,
Si tibi sunt tede socialia foedera curae,
Mutua si thalami gaudia dulcis amas,
Si, quae digna tuae celebrant praekoniam laudis,
Te facilem, vatum carmina grata, mouent,
Huc ades o praesens, & votis annue nostris,
Carmina nec fastu spernere nostra velis.
Non careat socia desertus APELIVS vsq;
Non vacuo releuet frigida membra toro.
De multis vnam, quae praestet, delige Nymphis,
Quas tuus ex serie longior ordo tenet.
Quae blandi semper sit dulce leuamen amoris,
Leticiae Domini fida columba sui.
Cum qua labentes feliciter exigat annos,
Et Pylij viuat secula multa senis.
Dum loquor, en strepitu mox circumfundor inani,
Percipio tenui murmura mixta sono,
Qualia, concutiunt, Astraeo sanguine nati,
Arboreas, leni flamine, quando comas,
Aut liquidum leuibus cum percutit aera pennis
Et trepidas alas aethere librat, auis.
Mox puer Idalius, faciem velatus & ora,
Astat, & exorsus, talia voce refert:
Stelligero celer huc venio delapsus Olympo,
Exequar vt matris iussa verenda pie.*

De

De Ioue sum genitore satus, mihi summa potestas,
 Imperio parent fœmina virq̄ meo.
 Spicula de pharetrâ quibus ipse Cydonia tendo,
 Legibus hi nostris saucia corda gerunt.
 Est propè virgineo celebrata puella decore,
 Conspicuum cunctis vita pudica facit.
 Huic etiam pietas, virtus, & honesta parentum
 Fama, decens CLARÆ nomen habere dedit.
 Inter Eliſtriacas non pulcrior vlla puellas,
 Vt formæ certet Hippodamia tuæ.
 Est faciem roseo suffusa rubore nitentem,
 Et niueo sparsus tempora lacte cruor.
 Hæc quoq; Palladias inter caput extulit artes,
 Deducit tenui læuia fila manu.
 Nympha non alius, quàm solus APELIVS, ista
 Dignus erit, cum qua tempora lætus agat.
 Ipsius hoc virtus, & gloria digna meretur,
 Famaq; perpetuos non moritura dies.
 Idalias, faciam, capiant in pectore flammæ,
 Mutuus vtq; duo corpora nectat amor.
 Dixit, & aërys mox pendet in æthere pennis,
 Alato pernix & pede carpit iter.
 Est domus, excelsa quæ surgit in aëra tecto,
 Illam Pieridum Turba Nouenâ colit.
 Huc Camerariadum, riuus velut, anxia cura
 Ex Aganippæo flumine duxit aquas.

Non procul hinc nitidas ostēdit *APELIVS* aedes,
Quas Pietas celebres, Candor & ipse, facit.
Quò Parnassiades crebrò vestigia ponunt,
Aonia Phæbo pleetra mouente lyræ.
Huc volucris sese demittit nube Cupido,
Accinctus pharetra, Matre iubente, sua.
Humida iamq̄ leuem nox suadet inire soporem,
Et tenebris densis cuncta sepulta tegit,
Distringens somno grataq̄ quiete sepultum
Cor ferit, Idalia missa sagitta manu.
Aliger hinc auido calidos inspirat amores,
Quos, forma præstans non nisi *CLARA*, leuet.
Tunc vacuo pennis velocibus aëre vectus,
Quâ *CLARÆ* surgunt splendida tecta, subit.
Dum capit hæc placidã per candida membra quietẽ,
Et rigui somni munera grata trahit,
Ossibus occultum teneris celer implicat ignem,
Vt paribus telis faucia corda gerat.
Mox at Acidalia superatus *APELIVS* arte,
Formosæ Nymphæ talia verba facit:
Tum mihi, quas Philyres vrbs inclyta continet, omnes
Inter præclaras, vnica *CLARA* places.
Sunt equidem, fateor, præstanti corpore multæ,
Sed non, quæ *CLARAM* vincere possit, adest.
Virtus, integritas, castæq̄ modestia vitæ,
Vt te suspirem pectore, sola facit.

Hæc

Hæc neq; lux sine te, dulcis neq; vita placebit,
Ascendas nostrum si modo CLARA torum.
Dixit. At hæc roseo suffundens ora pudore,
Conspicitur niueas erubuisse genas.
Dum stupet ad voces, & ne premat ora, monetur,
Candida vix leuiter lumina tollit humo,
Sic referens: Ex quo Genitor post fata quiescit,
Bis septem Autumnos Pleias orta facit,
Iamq; aderat mors atra, puer cum voce parentis
Admoneor tremula, sim, pia, matris amans.
Ipsius & dicto coner parere fideli,
Vitaq; virtuti conuenienter eat.
Dixerat, & cursum Fatorum Numine clausit,
Exuias reddens, corpus & ossa, DEO.
Ergo, quod studui, fido, memor ipsa, parentis
Pectore, dum viuam, iussa suprema colam.
Nunc si Fata volunt, iubeor Genitricis & ore,
Consors sum thalami Sponsa futura tui.
Hoc patulas ubi peruenit Genitricis ad aures,
Ad Natam tales edidit ore sonos:
Fata volunt, pia Nata, iubet diuina voluntas,
Hæc quoq; quæ gaudet matris honore, iubet,
Coniugis vt thalamo sit lætus APELIVS isto,
Ipsius & venias nupta puella toro.
Non mora, virgineo vincit duo pectora nexu,
Mandato fungens munere læta, Venus.


EST

X 220 7788

Est eadem Sponso mens, est eadem quoq; Sponsæ,
Unus & amborum corpora iungit amor.
SEDCava quid celsis resonant sub turribus æra,
Cur vox rauca tubæ signa canora dedit?
Fallor? an ille dies, tibi quo datur vxor, APELI,
Ingrediens lectum, Nympha venusta, tuum?
Buccina curua sonans strepitu loca saxea complet,
Aurea grandisonus clangor & astra ferit.
Turba cateruatim subeunt pia limina templi,
Inq; preces, Superos, & sua vota, vocant.
Mox Sponsus iunctus Sponsæ procumbit ad aram,
Et firmant dextris fœdera casta tori.
Hinc tardi pergunt omnes ex ordine longo,
Et repetunt ædes queis Hymenæus adest.
Continuò postquam Sponso bona verba precantur,
Mensis atq; mero corda refecta madent.
ADDERE dum conor, tenera dictante Thalia,
Plura, vel ad calamum ludere pergo leuem,
Interclusa nimis spacio nunc temporis arcto
Iam currens, breuitas, rumpere cogit opus.
VIVITE felices, geniali viuite lecto,
Contingat molli rara querela toro.
Cumæos numerate dies, & Nestoris annos,
Vestraq; sit natis splendida mensa pijs.
SIC VobIs baLbæ neptes, bLanDIqVe nepotes,
CoLLo penDentes, osCVLa grata ferant.

F I N I S

Ha 664 QK



B.I.G.

Farbkarte #13



Za
664



amium

P T I I S

R NATISS. VIRI

S ET BIBLIOPOLAE

, & pudicis. Virg

ONSÆ, Honesti &

TIANI GRVN

Ciuis Lipsensis,

Filiae.

T V M

oro Cæfare

ensi.

I Æ

oa excudebat

XVIII.



cat. V, 689.

